

4. Bibliographie der Schriften

SVMMA PRAELECTIONVM ALIQVOT DE STVDIIS RECTE ET ORDINATE TRACTANDIS IN GRATIAM STVDIOSORVM THEOLOGIAE HABITARVM ANNO MDCCX AB AVGVSTO HERMANNO ...

Francke, August Hermann

Halle, 1763

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



.1:
0

FS. 1: 060



Verlagsbibliothek
der
Buchhandlung des Waisenhauses
in
Halle (Saale).



⇒: Gegründet 1698. :⇐





2

S V M M A
PRAELECTIONVM

ALIQVOT

DE

S T V D I I S
RECTE ET ORDINATE
TRACTANDIS.

IN GRATIAM

STVDIOSORVM THEOLOGIAE

HABITARVM

ANNO MDCCX

AB

AVGVSTO HERMANNO
FRANCKIO

S.S. THEOL. PROF. ET PAST.



HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS ORPHANOTROPHEI
MDCCCLXIII.



A V D I T O R I B V S
S. THEOLOGIAE STUDIO S I S
L O N G E D I L E C T I S S I M I S
S. P. D.
A V G V S T V S H E R M A N N V S
F R A N C K I V S.

Stephanus Gaussemus, S. Theol. in Acad. Salmur. quondam Professor, in Dedicatione Dissertationum de Studii Theologici ratione, cætera, occasionem exponens suarum de Methodo commentationum, inter alia hæc habet:

Quum facile intelligerem, frustra agrum seri atque occari ab agricola, qui soli naturam perspectam non habeat, nihil antiquius habui, quam ut Studioforum, qui se in nostram disciplinam tradebant, instituta, consilia, et uniuersam studiorum rationem penitus cognoscerem: cæpi itaque, diligentissimum quemque de ea, quæ omnium tutissima et compendiosissima videretur, methodo percunctari; neque prius conquieui, quam singulorum sensus penitissimos perscrutarer: at vix credas, quam multa inuenirim, quæ non placerent; nihil autem, quod displi-

displiceret magis, quam quod etiam qui egregie præter ceteros industrii et ingeniosi erant, in scripturas aut omnino non legerent: (paucos excipio, quibus optimi obtigerant consultores) aut ita legerent, ut non legisse præstaret: quam studiorum infelicitatem quum Propositiones (Predigten) imitarentur, alterutrum necessario fiebat, ut vel ieiuna essent, et exsanguis, vel eloquentia seculari prætumida.

Quantam res vestrae, Auditores, similitudinem cum illis Salmuriensium rebus habeant, (licet non omnium, plurimorum tamen) ut dicere haberem, prosequi in præsentia nolo. Hoc autem dico atque adfirmo: Quando etiam nos, ad quos ea cura attinet, operam damus, (damus autem perpetuo, et singuli, et coniunctim) ut explorete cognoscamus, quam in tractandis studiis vestris viam teneatis, vix credat aliquis, quam multa inueniamus, quæ displiceant.

Nostrium est igitur, ea remouere idemtidem, ac pro re nata, monitione publica priuataque, in quæ ignari bonæ methodi haud pauci incurrunt; ea vero tradere, quæ ad viam et rationem colendorum studiorum genuinam pertinent. Quare hoc quoque anno huius memor officii sex illas Prælectiones publicas vobis dedi, quarum summam hæc plagula exhibet. Non attigi in illis, nisi ea, quæ præsens iussit necessitas moneri, reliquis alias aut iam monitis aut monendis.

Legite itaque hæc, et perpendite; nec monitori sitis asperi, sed dicto potius audientes, in quibuscunque a recta via vos aberrasse perspexeritis Valete. Dabam in Museo d. 2. Mai. 1710.

MONITVM PRIMVM.

Viuæ vocis Magistrorum constans auditio longe vtilior est Theologiæ Studiosis, quam alia quæcunque discendi adminicula.

ARGVMENTA MOVENTIA ET RATIONES.

1. Illam viuæ vocis prærogatiuam experientia eorum comprobatur, qui olim et viuæ Magistrorum suorum voce vti, et in lectione librorum probe etiam versati, nunc fatentur, ea sibi quasi mortua existere, quæ a mortuis didicerint Magistris; eorum vero magis viuam recordationem, maioremque dulcedinem inhærere, quæ ex ipso Præceptorum ore perceperint. Istæ aliorum experientia Theologiæ Studiosos magis ad Præceptores suos assidue audiendos permouere debet, quam eos adminiculorum quorumvis utilitates, quas sibi pollicentur, ad negligendam viuam docentium vocem commouere solent.

2. Accedit exemplum eorum, qui, viuam Doctorum vocem aspernati, *αὐτοδιδάκτοι* extiterunt.

titerunt. In talibus enim numquam non regnare *αὐτάδεια* solet, qua nihil a naturali ac diuina sapientia est alienius. Præter hoc autem commune τῶν αὐτοδιδάκτων vitium, non immerito quis eos ipsos arboribus comparaverit, quæ non in horto plantatæ, nec hortulani opera excultæ, debitoque tempore supputatæ, sed neglectæ in agro aut silua succreuerunt, quam ob causam nec formam habent aliis sui quidem generis, sed melius cultis arboribus conformem, nec fructus præbent gustui gratos; factæ quippe in siluestrem naturam degeneres.

3. In viua voce rebus, quæ proponuntur, additur pondus ex docentis affectu, qui aut minime, aut certe difficulter in mortuis Magistris, h. e. libris, siue impressis siue manuscriptis, intelligitur. Mittimus rationes alias.

CONCLVSIONES.

1. Ergo male sibi consulunt, qui viuam Præceptorum vocem aut plane non, aut minus quam oportebat, aut inconstanter audiunt. Illi frustra sane in Academia vitam degunt, dum se præcipuo Academiæ commodo defraudant. Isti cogitare debebant, horas ruere et annos, ideoque prouidendum sibi esse, ne qua se vtilitate per suam somnolentiam priuent. Isti se misere deludunt: deficiente enim assiduitate, dum agere aliquid videntur, nihil agunt.

X 3

2. Ergo

2. Ergo præpostere rem instituunt, qui transcribendis Præceptorum Prælectionibus, et, ut vocant, *Discursibus*, quodcumque habent tempus et otium, aut magnam eius partem infumunt.

3. Ergo non optima sequuntur consilia, qui pauciora frequentant Collegia, quam ipsis fuerunt consilio Præceptorum præscripta, quamque studiorum ratio, si feliciter in iis progredi velint, requirit.

4. Ergo male aliqui, subnato quolibet leui impedimento, Collegiis, quæ frequentare cœperunt, interdum se subtrahunt, arbitantes, se lacunas, quas idemtidem faciunt, ex aliorum Manuscriptis haud difficulter posse explere.

5. Ergo falluntur, seque vera plenaque Prælectionum vtilitate spoliant, qui aliquamdiu eas frequentant; deinde verò, aut fastidio earum capti, aut peruersa curiositate aliorum pellecti, antequam illæ finiantur, ab iis recedunt, et alias ingrediuntur; eo quod putent, facile se ex aliorum charta posse transcribere, quæ in illis desint.

MONITVM SECVNDVM.

Vt peccant illi, qui viam Præceptorum suorum vocem aspernantur, ita ii in alterum prolabuntur extremum, qui in auditione omnem studio-
rum

rum rationem, omnemque spem progressuum collocant, ac proinde Collegiorum multitudine animum penitus obruunt.

R A T I O N E S.

1. Minime sola *auditio* ad exoptatos in studiis progressus faciendos sufficit, sed in super *Lectio*, animique ad audiendas Prælectiones *Preparatio*, eorum, quæ quis auribus percepit, *Repetitio*, *Meditatio*, *Exercitatio*, et, quæ primum locum tenere debet, *Oratio* requiritur, si quis Theologus ad res Ecclesiæ curandas et administrandas aptus euadere gestiât.

2. Si quis nimium audiat, fieri neutiquam potest, ut cuncta in memoria, quantumlibet tenaci, conseruet, sed plurima elabuntur; quæ autem remanent, quia meditatione et repetitione digesta non sunt, non nisi imperfecta quadam et confusa notitia animo inhærent.

C O N C L U S I O N E S.

1. Ergo perperam aliqui præter Collegia, quæ a Præceptoribus præscripta sunt, alia frequentant, sic temere numerum Prælectionum, quas audire cum fructu possent, augentes.

2. Ergo progressus suos non promouent, sed impediunt, qui, dum auscultant, nihil in charta adnotant, quod deinde repetituris

ea, quæ acceperunt, subsidio et adminiculo esse possit.

3. Ergo officio suo non satisfaciunt, qui auribus quidem præsto sunt: sed haud curant, ut recte omnia, quæ audiunt, intelligant: unde aut nullum, aut valde modicum ab auscultatione sua fructum demetunt.

4. Ergo haud prudenter studiorum rationem ineunt, qui non explorant, quid valeant humeri, quid ferre recusent, ne aut pauciora aut plura, quam oportet, Collegia frequentent.

MONITVM TERTIVM.

Progressus debiti in studiis fieri nequeunt, nisi discennes ordinate illa tractent, diesque et horas suas prudenter disponant, ac in eo, quem semel bene constituerint, ordine constanter perseuerent.

R A T I O N E S.

1. Ordo est quasi anima rerum omnium; quia sine ordine nihil firmum esse potest. Ipse Deus est *Deus* ordinis, quippe qui *omnia mensura et numero et pondere disposuit*. Sap. XI, 20.

2. Experientia docet, eos, qui quasi casu in studiis versantur, temere, quicquid offertur, arripientes, quicquid non delectat, abiicientes, remanere vacuos solida scientia, vanos,

vanos, sciolos, inconstantes, ad præstanda olim vocationis officia ineptos, leues, ac plane eo animi habitu indutos, qui vix deinceps per omnem vitam corrigatur.

3. Monitum Apostoli Ephes. V, 16. ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρὸν, ad quem attineat magis, quam ad eos, qui non modo suæ animæ, vt Christiani, curam habere tenentur, sed etiam præ se ferunt, se aliarum animarum curam olim in se esse suscepturos?

4. Pauci sunt anni, qui in Academiis exiguntur; ideo viuendum accuratissime, ne dies aut horæ vllæ perdantur. Perduntur autem non modo illæ, quæ otio inani consumuntur, sed etiam, quæ iis rebus non tribuuntur, quibus tribui debebant, nec prudenter sunt dispositæ, vt suo tempore fructus debitus inde possit expectari. *Est occasio præcepti, et cum pedetentim ingreditur, apprehendi forsân potest. Vbi autem manus effugerit, in sublime auolat, et, insequentes se ridet, nec patitur amplius, vt ab illis capiatur.*

CONCLVSIONES.

1. Ergo Deo rationem reddant, qui garriendo cum sodalibus, computationibus, somno nimio, aut alia manifesta peruersitate aliquam diei partem transigunt.

2. Ergo imprudenter agunt, qui horas aureas et ad discendum aptissimas, recreationibus, quantumlibet, si debito tempore

¶ s

adhi-

adhiberentur, excusandis impendunt, e. g. deambulationibus.

3. Ergo peruerse agunt, qui potius inconsultum animi, huc, illuc impulsī, impetum, quam saniora de die prudenter disponendo consilia sequuntur.

4. Ergo perperam nonnulli in seram vsque noctem lectioni aut scriptioni inhærent, ac deinde in diem vsque luculentum in lecto stertunt. Eiusmodi intempestiua industria aliqui sibi morbos conciliant; et, nisi contubernales in hac peruersitate suo maiore malo consentiant, saltem alteri molestia adfertur; vt taceam alia incommoda.

5. Ergo sufflaminant suos in studiis progressus, qui negotiola domestica, et ab amicis forte per litteras imposita, eo tempore peragunt, quod ordinariis studiis tribuendum erat.

6. Ergo male agunt, qui diebus dominicis ad studia incumbunt, vbi potius verbum audire, preces ad Deum fundere, pie meditari, animum sancte in sua quasi penetralia recolligere debebant.

MONITVM QVARTVM.

Quæ recte iudicantur maxime omnium necessaria esse, ea primo loco, ac præcipua industria sunt tractanda; reliqua vero, quæ minus necessaria

cessaria sunt, aut plane omittenda tantisper, dum illa didicerimus, aut certe modico temporis operæque impendio colenda sunt. Ita per omnem studiorum cursum semper ordo rerum addiscendarum necessitate metiendus est.

R A T I O N E S.

1. Quemadmodum natura nos docet, de veste, qua nuditatem nostram contegamus, nos prius, quam de ornamentis vestitus sollicitos esse debere: Ita etiam in studiis, quæ ad animi culturam pertinent, prodest primum ad ea, quibus carere sine ignominia nequimus, deinde ad ea, quæ animum rebus necessariis instructum vberius exornant, nos incumbere.

2. Nemo exacte nouit, quamdiu sibi integrum futurum sit, studia in Academiis continuare. Quod si igitur aliquis ocyus forte, quam putasset, abrumpere studiorum cursum cogatur, ei nihil profuerit magis, quam intra breue temporis spatium maxime necessaria didicisse.

3. Animi iuueniles facile rerum summe necessariarum tædio capiuntur: quo fit, vt in curiosa, vana, ac minus vtilia se diffundant. Hæc igitur luxuria, quæ studiorum pestis est, optime obseruatione moniti a nobis dati coercebitur.

CON-

CONCLVSIONES.

1. Ergo inordinate studia colunt, qui, cum fundamenta solida in scholis non iecerint, nec tamen, vt defectus iste quam primum in Academia suppleatur, curæ habent, sed neglectis elementorum ac fundamentorum accuratiori cultura, non nisi ad altiores disciplinas animum adiungunt.

2. Ergo qui *Linguas Sanctas* nondum calient, *Philosophiam* intempestiue colunt. Illæ enim propiori multo necessitatis vinculo, quam hæc, cum Theologia, cuius quippe *principium cognoscendi Scriptura Sacra* est, connexa sunt.

3. Ergo, qui *Theses* siue *Dogmata Theologiæ* nondum didicerunt, præmature *Polemica Collegia* frequentant.

4. Ergo qui nondum fundamenta disciplinarum bene cognita habent, peruersa ac præcoci industria ad Collegia se conferunt *Polyhistorica*.

5. Ergo qui nondum tenent *Dogmata Theologica*, neque in studio *Exegetico* versati sunt, perperam ac præmature rei *Homiletica* animum addicunt.

6. Ergo Studiosi Theologiæ in consilium adhibeant Præceptores, vt ab iis doceantur, quæ sint magis, quæ minus necessaria. Plurimi non debita quidem opera, sed per imprudentiam, ea, quæ sunt maxime necessaria,

ria, negligunt; et vix sunt, qui non hac in parte a via aberrant, nisi subinde moneantur.

MONITVM QVINTVM.

Tempus ita disponendum atque distribuendum est, vt, quantum fas est, detur labori et quieti; et vt labor prudenti in Lectionem, Auditionem, Repetitionem, Meditationem, Exercitationem distributione nec nimium fatiget, nec tædio adficiat animum; quies vero, in quantum fieri potest, animum reficiat, quo alacrior, ferenior, immo et sanctior ad laborem redeat; tandem vt cura animæ otii satis sibi vindicet, ne latus apertum præbeatur hostibus spiritualibus, (quod potissimum fit neglectu verbi diuini et precum, et distractione animi nimia) vtque florescere feliciter regnum Dei in anima nostra possit.

R A T I O N E S.

1. Cogitandum ante omnia est, studiū Theologici finem Primarium esse, vt seruemur ipsi, Secundarium, vt seruemus alios. vid. 1 Tim. IV, 16. 2 Tim. III, 15. 17. Quare curandum est, vt sic horas distribuamus, ne finis secundarius officiat primario, tandemque neutrum forte obtineamus.

2. Plu-

2. Plurima sunt Studiosi Theologiæ officia, quæ partim generalis, partim specialis vocationis ratio, quod *Christianus*, et quod *Studiosus Theologiæ* sit, ab eo requirit. Itaque in dispositione temporis providere debet, ne, dum officiorum vnum alterumque præstare annititur, reliqua cum damno haud mediocri interea negligat.

3. Et si, qui curiculam curant et genio suo indulgent, reprehendendi omnino sunt, et Epicureorum gregi adnumerandi: Attamen nec in defectu peccandum, et valetudinis utique in studiis habenda est ratio atque observandum illud: *Quod caret alterna requie, durabile non est.*

CONCLVSIONES.

1. Ergo horæ matutinæ primo quidem precibus, lectioni Bibliorum, ac librorum deuotioni inseruientium; deinde vero labori, rebus seriis maximeque necessariis consecrato, tribuendæ: minime vero sine precibus, sine verbi meditatione, sine labore serio transmittendæ, aut in rebus inanibus aut non necessariis leui animo consumendæ sunt.

2. Ergo per diem integrum nec ad labores singulos accedendum, nec ab iis recedendum est sine precibus breuibus ad Deum fundendis.

3. Ergo *Præparatio* antecedere, *Repetitio* sequi prælectiones, quas auribus accipimus, debet.

4. Ergo

4. Ergo dum cibum capimus, vt vires corporis instauremus, relaxare animum licet, sed nonnisi intra terminos sobrietatis, modestiæ ac pietatis, et cum ea cautione, ne *συσσίτων* corruptis moribus et ipsi corrum-
pamur. Immo decet eos, qui vna cibum capiunt, lectione Scripturæ, et Colloquiis ex ea institutis cum eximia sua vtilitate perfrui. Ita Sec. 15. quum Synodus Toletana corruptos Cleri mores reformare, et maiorem illi sanctitatem inculcare allaboraret, inter alia Can. VII. præcipit: *Prelatos, dum mensa accumbunt, curare debere, vt Sacræ sibi Scripturæ prælegantur, vt fauces sumant cibum, auresque esuriant verbum diuinum.* Ita Kort-
holtus in Hist. Eccl. rem narrat.

5. Ergo ne valetudini damnum inferatur, a prandio et a cœna liber a *Meditatione* et *Lectione* relinquendus est animus; nec tamen otio inhonesto indulgendum. Sunt forte negotia, quæ curanda sunt, et tunc sine dispendio studiorum curari commode possunt. Colloquia cum amicis probis ac industriis, ac de rebus vtilibus tunc sine temporis iactura optime instituuntur, aut in museo, tempore hiberno, aut æstiuo tempore in modica quadam deambulatione. A cœna nihil rectius agitur, quam si *Repetitio* eorum, quæ per diem quis in prælectionibus audiuerit, aut vtilia obseruauerit, cum contubernali vernaculo, aut latino potius sermone instituitur.

6. Ergo

6. Ergo sine *Precibus* animique recolle-
ctione finiendus dies non est, aut somnus ca-
piendus.

7. Ergo nulla dies abeat, quin aliquam
studiorum partem ad exercitationem trans-
feramus.

8. Ergo certæ horæ semper tribuendæ
sunt etiam *Repetitioni* eorum, quæ iam antea,
siue in scholis, siue in Academiis, quis di-
dicerit.

Non minor est virtus, quam querere, parva tueri.

9. Ergo idemtidem circumspicienda ani-
mo sunt singula nostra studia, ac progres-
sum quasi rationes conficiendæ, quo et re-
ctam viam semper teneamus, et quod reli-
quum viæ est, industria prudenter ordinata,
quantum fieri potest, absoluamus.

10. Ergo accurate et in aurificis statera
examinanda est omnis nostra viuendi ratio,
ne, dum in studia incumbimus, Oratio de-
primatur, et dum Orationi nos dedi-
mus, studia negligamus.



I 48



FS
06